

577. *Plurimum Reverendi, Reverendi, Clarissimi Humanissimi-
que Domini, PRÆPOSITI & PASTORES, Amici & in
Christo fratres perdilecti, &c.*



Nter innumera immensa Bonitatis divinæ bene-
ficia, & hoc omni devotione celebrandum est,
quod turbatis partim, partim etiam vastatis
Bellonæ furore nonnullis orbis christiani, imò
& Patriæ nostræ partibus, hæc Diœceseos nostræ regi-
ones, benignissimus Pater cœlestis, multis jam retro an-
nis, prorsus tutas servârit. Extollenda quoque nobis e-
rit S. Reg. Maj:^{tis} Munificentia, quæ in harum provin-
ciarum culturam ac dignitatem, annis abhinc 37. Regi-
am hæc Academiam liberalissime erexit, & angustissimis
hiscæ temporibus, munificæ laudis salarijs atque sti-
pendijs sustentat. Et licet fructus haud exiguus redun-
dârit ad eos, qui hæc felicitatem digne æstimârunt; do-
lendum tamen est, quod eandem nonnulli vel ritè non
quærant: vel prorsus negligant: illos intelligo, qui non
sine insigni Ecclesiæ damno, & cum proprio suo magno
malo. postquam Academicæ societati nomen suum dede-
runt, plures imò optimæ ætatis annos, sic in otio, vel ru-
ralibus ferijs consumunt. Cum autem mihi ex Divina
clementia, atque autoritate S. Reg. Maj:^{tis} nec non pe-
culiaribus literis illustrissimi Academicæ Cancellarij in-
cumbat, *Docentium & Discipulorum labores, studia & mores
explorare*: (ut habent Const. Acad.) ergo, ne ulterius
serpat hoc cacoethes, V. V. R. R:^{tias} unicè rogatas volo,
ut singulos in parœcijs suis, domi degentes studiosos se-
riò moneant, ut cum novo anno, (*quem nobis omnibus
felicem exopto!*) jam jam imminente, novam industri-

)

am

am Academiæ nostræ præbent: tempestivè hic adfunt
singulis temporibus, quibus feriæ non sunt concessæ:
De feriis autem Regiæ Constitutiones, Cap. XX. §. I. sic
decernunt: *Feria ordinaria in Academia erunt, Natales
Christi, à die S. Thomæ ad festum Epiphaniæ: Paschales,
à Dominica Palmarum quatuordecim dierum: Canicula-
res, à festo Petri Pauli usque ad Bartholomei: intra quod
spatium cives hujus Academiæ ex remotioribus etiam natio-
nibus tenebuntur comparere.* §. II. *Quod autem Studi-
osi indigenæ sæpius, neglectis studiis, aliò se conferunt, i-
biqve interdum diutius commorantes vacua Academia Au-
ditoria relinqvant, id S. Reg. M:tas severè prohibet in po-
sterum fieri, &c.* Ex tenore ergo Regii hujus manda-
ti, ut & proprio commodo inducti adfunt, & insigni
cum diligentia exercitiis Academicis, tam publicis quam
privatis intersint. AccedentesInspectorem suæ natio-
nis sive districtus, ex celeberrimo ordine professorio sa-
lutent, eumqve consulant in studiis suis dispescendis:
& illo inscio, ex urbe non discedant. Hoc modo si
perrexerint cordati hujus Academiæ cives, & studio-
rum telam, aspirante Divina Clementia, pertexue-
rint, non est quod dubitent de ubere studiorum fru-
ctu, & tempestiva missione in vineam Domini. Qui
autem interna ac devotâ vocatione stimulati, ad sacrum
Verbi ministerium aspirant, Examen illud ordinando-
rum, prius evulgatum se subituros sciant. Ex Verbi
divini ministris si qui sint, qui commodiori conditione
potiri cupiunt, novo Examine suam industriam & in stu-
diis profectum ostendant: & quiden rigorosiore illi,
qui crebra intercessorum sollicitatione, & ulterioris di-
ligentiæ stipulatione, sacris ordinibus sunt initiati. Ad-
mo

monentur quoque Scholarum Trivialium Rectores, ne dimittant è Scholis suis adolescentes ad exercitia Academica immaturos: cum fundamento minus valido, validè & tutò non superstruitur. Stipendia Dioceseos posthac tantum iis, qui in peregrinis Academiis, studiis invigilant, aut ministerii candidatis porrigentur. B. Valeant V. V. R. R. Hasque non postremas officii sui partes existiment, votis, curis ac monitis hoc agere, ut parentur Domino pii & fideles in Ecclesia ejus servi. Dab. Aboæ die 10. Decemb. 1677.

Vester

JOHANNES GEZELIUS D.
Ep. Ab. & Acad. Pro-Cancell.

mirrored bleed-through text from the reverse side of the page, appearing as faint, illegible markings.

JOHANNES SERRING
L. S. CHANDLER